Tres sunt Modestiæ Partes 1. Acqsitio legitima honorum, vel etiam eorum neglectio, si acquirere eos legitimè non possimus. 2. Acquiescentia in mediocribus honoribus. 3. Conservatio et defensio mediocrium honorum.

Canon:

Honor verus est præmium virtutis, ac nullis nisi virtute præditis competit.

Maximilianus Rom. Imp. Oenipontium sive Insbrugk in Austria ingressus in curia hæc carmina lapidi incisa vidit:

Do Adam hackt undt Eva span,
Welcher war da ein edelman.
Quando Adam fodiebat humum et filum Eva trahebat,
Quis vir tum clarus nobilitate fuit?
Et in hunc modum subjecit versus
Ich bin ein man wie Ander man
Nur daß mir Gott der Ehren gan
Sum reliquis par ipse viris, mihi fecit honores,
Cui sola terrarum torquet ab axe Deus.

Meminit hujus D. Matthæus Trimpius in libro suo, quem inscripsit Dormi secure.